

Dóminus custódit ádvenas, ꝑ pupíllum, et víduam suscípiet : \* et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula ꝑ Deus tuus Sion, \* in generatióne et generatióne.

Psalmus 146.

**L**AUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : \* Deo nostro sit jucunda, decóraque laudatio.

Ædificans Jerúsalem Dóminus : \* dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : \* et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : \* et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : \* et sapiéntiae ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus : \* humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : \* psálliche Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbi- bus : \* et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum : \* et herbam servituti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : \* et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : \* nec in tibiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : \* et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Psalmus 147.

**L**AUDA Jerúsalem Dóminus : \* lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit se- ras portárum tuárum : \* be- nedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pa- cem : \* et ádipe fruménti sátiat te. .

Qui emíttit elóquium suum terræ : \* velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut la- nam : \* nébulam sicut cíne- rem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : \* ante fáciem frígoris ejus quis susti- nébit?